

HYMNUS DE S. BENEDICTO.

(Rx Prospero Martinengo et Italiae sacrae tom. II.)

Aureo solis radio perennis
 Hac die totus decoratur orbis,
 Ut tuis, felix Benedicte, festis
 Clarior adsit.
 Bella mirandis opulenta factis,
 Signa virtutum, speciale munus
 Regulæ, præbent tibi sempiterno
 Tempore laudes.
 Claret ætatis teneris ab annis
 Moribus, vitam quibus ordinasti,
 Cum voluptati dederis nec ulli
 Intima cordis.
 Deditur tanto prius in triumpho
 Vas quidem fractum, muliebre damnum,
 Quod puer sanum prece lacrymosa
 Restituisti.
 Exhibens sanctum celer institutum
 Arctius, summum, studiis relictis
 Rebus et patris, fugis, et salubri
 Veste bearis.
 Foveras antro tua membra parvo
 Mensibus versis novies quaternis,
 Quo manens nullis hominum, sed uni
 Notus haberis.
 Grata divino tibi festa nutu
 Conferunt pastum, latitans videris,
 Fama fit, vulnus perit omne mentis
 Vulnere carnis.
 Hinc crucis signum vitreum veneni
 Poculum frangit, vaga mens fugatur
 Virgulæ tactu, fluit e cavato
 Marmore lympha.
 Insilit ferrum capulo reversum,
 Mollis humanos regit unda passus,
 Qua tuam ruptus Placidus melotem
 Cernere fertur.
 Charus horrendum tulit ales escam,
 Fles nimis sontis nece motus hostis :
 Et loco cedens solito, petisti
 Lyris * amœna.
 Lubricus strata furit anguis ara,
 Aggravat pondus, strepit igne falso :
 Sed nihil contra valet inchoatum
 Ferre laborem.
 Membra collapsio lacerata muro
 Sana redduntur, patulo probantur
 Fratribus furtim malefacta, regis
 Panditur actus [F., astus].

A
 Noxa libantem necat, et ruina
 Sedis electæ patet, obtinentur
 Spiritus, raptò lautare vino
 Cernitur hydrus.
 Objicis fratri quod inane fecit,
 Inspicis mensem penitus rebellem.
 Copiam prodis, gravidisque somno
 Consulis index.
 Perfidus tellus procul legit artus,
 Sistit errantem draco, cessit ulcus
 Regium, nummi subiere, fugit
 Horrida pestis.
 Quod cadit vitrum, patet esse salvum,
 Vasa producunt oleum, chelydrus
 Pellitur dextra, manuumque lora
 Visio solvit.
 B
 Reddito vitæ puero, subire
 Cœlicas sedes animam sororis,
 Et velut solis radio sub uno
 Omnia cernis.
 Scandit ardenti sacer orbe præsul,
 Tu via, cœlum, facibus corusca,
 Quando ter ternis tribus et Kalendis
 Instat Aprilis.
 Te canit lætus chorus angelorum,
 Patriarcharumque, et apostolorum,
 Et prophetarum, meritis ab omni
 Parte beatum.
 C
 Ut sit hujus plebs memor ista laudis,
 Hic ames dici pater, hanc decenter
 Si doces, laute refove, polumque
 Scandere præbe.
 Christe devoti pretium laboris,
 Confer istius prece nos juvari,
 Cujus exemplo peritura fœdi
 Liquimus orbis.
 Hymnus hic noster, Benedicte princeps,
 Sit tibi semper placidus, inorum
 Qui salus es, lux, decus et perennis
 Laus monachorum.
 Meta cœlestis pretiosa Regis
 Te facit veris celebrem tropæis.
 Unde nos semper petimus frequentes
 Nocte dieque,
 D
 Doxa sublimi maneat Parenti,
 Ejus et sacro diadema Nato,
 Et tibi, virtus utriusque compar,
 Spiritus alme. Amen.

* Lyris, alio nomine Carnellus, fluvius est Campanie, agrum Cassinatem à meridionali parte alluens.

Consule Notas Angeli de Nuce in cap. 5 lib. 1 Chronici Cassin.